

Johann Paul Felwinger Burckhard Albert Rieter von Kornburg


Dissertatio Politica De Temeraria Provinciarum Invasione Et Occupatione Ex Dominandi Libidine

Altdorffi[i]: Schönnerstaedt, 1678


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770280811>


Druck Freier  Zugang





K. K. — 2 (102.)





DISSERTATIO POLITICA

De

TEMERARIA
PROVINCiarUM INVASIONE
ET OCCUPATIONE EX DOMINANDI
LIBIDINE,

QUAM

DEO T. O. Maximo

SUB PRÆSIDIO

M. JOH. PAULI FELWINGERI,
 Polit. & Log. Prof. Publ. Facult. Phi-
 losoph. h. t. Decani, Universitatis Senioris,
 & Stipendiarior. Noricorum Inspectoris.

Placidæ & publicæ ventilationi submittit

BURCKHARDUS ALBERTUS Nieter/
 à Kornburg/&c.

Ad d. 4. Septemb. ANNO CHRISTI M. DC. LXXXVIII.

ALTDORFFI

Typis Johannis Henrici Schönnerstædt.

VIRO

MAGNIFICO NOBILISSIMO MA-
XIME STRENUO ET PRUDENTISSIMO

DN.

PAULO ALBERTO
RIETER A KORNBERG.

REIP. NORIMBERGENSIS

SENATORI GRAVISSIMO,
REIQ; MILITARIS PRÆ-
FECTO MERITISSIMO.

DN. PARENTI SUO *Honoratissimo*

cum oblatione speciminis hujus
Academici

filialem amorem & obsequium

sanctè promittit

Filius ejus obsequiosissimus


Burckhardus Albertus Rieter
à Kornburg.



ENRietere, Decus Patriæ Charitumq; voluptas,
 Has Tibi votivas ducit amica manus
 Lineolas, & signa pii cum plausibus edit
 Affectus, qui jam sedulitatis opus
 Egregium ostendis, qui monstres mentis acumen,
 Et gemines animi nobilitate Genus.
 Sic, age, perge sequi Magni vestigia Patris,
 Et celebris semper Gloria Gentis eris.

Sic egregiis Nobilissimi atque Ge-
 nerosi Dn. Respondentis cona-
 tibus applaudens scrib.

Gabriel Tanck Wism-Meckl,




Sidere felici cathedra conscendere culmen;
 Est virtutis opus, Nobilitatis honor.
 Hanc, Generose, viam dum calcas, Nomina cedro
 Digna, per hac Sophialemmata docta, facis.
 Inceptos propera, nec desine, ferre labores,
 Sic quondam magni Patris ad instar eris!

Hzc

Nobilissimo perstrenuoq; Dno. Responden-
 ti, amicâ mente manuu; gratulabun-
 dus apponebat.

Johann Ernst Jahn LL Cultor,



Er ihm suchet einen Sitz an dem blauen Sternen E'ge /
 übt sich gleich von Jugend auf zu erdulden Frost und Hitze /
 Machet manche Nacht zu Tag / lauscht in weichen Fed. rn nicht /
 Weil er weiß / daß besser Fleiß vor dem Schweiß ihm Preis
 verspricht.

Adler zeugen Adler Zucht; Löwen von dem Löwen kommen;
 Ob die Eltern Laster frey / wird bey Kindern abgenommen:
 Wo die Tugend Wurzel fasset / wächst der Ruhm je mehr und mehr /
 und bringt auf die Nach-Welt fort der berühmten Ahnen Ehr.
 Wendes wird bey dir jetzt wahr / Werther / da du lässest sehen /
 Wozu Stamm und Tugend dich / so bey dir geparet stehen /

Digheer

§§§ (o) §§§

Bisher angefrischet hab. Jedermann wünscht hier zu Glück/
Und ich bitte/ gehst du von hier/ laß mir ja dein Herz zu ruck.
Dieses getragfugige setzet wohlmet-
nend hinzu seinem liebwerthesten
Herrn Bettern/ darbenebenst
alles allseitliche Gedanken von
Herzen anwünschend.

Georg Burckhard Haller
von Hallerstein.

SIpsolem metricis verbis depingere nostræ
Fœdus amicitiaë, plurima vena daret;
Sed quia Musa negat mihi verius, inspicere mentem,
quæ Tibi gratatur, multa que vota refert.
Quàm bene, quàm doctè de BELLÒ differis, illo
tempore, quò BELLÌ sævit ubiq; furor.
Declaras quantum studiis profeceris, atq;
ingenij jungis non sine laude decus.
Sic Tu Spem Patriæ charisq; Parentibus auges,
Sic Te laus & honor magnaq; fama manent.

Hilce Generoso stemmate atq; multijugæ eruditio-
nis cognitione florentissimo DNO. Responden-
ti Fautori, Commensali atq; Amico suo ho-
noratissimo animatus gratulari voluit,
debut.

Johannes Christophorus Dietherr.

SCilicet hoc animos, quos Sanguis honestat Avorum,
quiq; alios vincunt nobilitate, decet:
Non propria oblitos aliena incumbere, fama,
inq; peregrinâ veste placere sibi;
Quin potius propria virtute nitescere, & amplis
factis Majorum condecorare genus.
Hoc decet, hoc pandit latitantia linæa fama,
nec patitur quenquam nocte silente tegi:
Hoc vero RIETERE, mei pars altera cordis,
hoc dum carpis iter non titubante pede.
Maçte animo! & magnum felix imitare Parentem,
atq; extende novâ Nobilitate genus.

Laudatissimos in studiis profectus, Perstrenuo
ac Nobilissimo DNO. Respondenti amico
suo æstimatissimo ex animo gratu-
latur.

Jodocus Willhemus Schenckius,
à Gevren. Eq. Francon.



Σὺν Θεῷ προοίμιον

DISSERTATIO POLITICA,
De
QUÆSTIONE,
An Princeps, salvo jure & consci-
entiâ alterius Principis oras, sive
Provincias vi & bello invadere
possit, suum imperium dila-
tandi causâ?

THES. I.

Princeps cùm æquè sit homo, ac a-
lius, juxta illud Maximiliani I. Im-
peratoris, apud Zinggraff in *Apoph-
thegmat. Germ. part. 1. pag. 79.*

*Ich bin ein Mann wie ein anderer Mann /
Ohne daß mir Gott die Ehre gann:*
quod Christianus Matthias in *Theatro Hi-
stor. pag. mihi 703.* ita latinè reddidit:

A

Par

Par ego sum reliquis, nisi quod mihi nomina *ma-*
Cæsaris, & sceptrum contulit ipse Deus. (igni
 etiam iisdem affectibus humanis, cum cæteris
 subjectus est & præditus; inter quos præ aliis ve-
 hementissimus est, *Cupiditas Habendi*; quæ ceu
 duobus fulcris sustentatur, nimirum *pruritus*
Imperandi, & Ambitione, quam solent vocare,
Gloriam Famæ. *Tacit. l. 4. Annal. c. 40.* ait:
 Cæteris mortalibus in eo stare consilia, quid si-
 bi conducere putent: Principum diversam
 esse sortem, quibus præcipua rerum ad Famam
 & *Reputationem* dirigenda.

II. Facile quidem largior cum *Cicerone in*
Orat. pro Arch. Optimum quemque maxi-
 mè gloriâ duci: & cum *Tacit. l. 4. c. 38.* Opti-
 mos mortalium altissima cupere. *Item*: U-
 num insatiabiliter, prosperam sui memoriam.
 Verùm ad eam *Viâ* virtutis grassandum, *juxta*
Salustium c. 1. in Jugurthâ: non crudelitate &
 diabolicâ violentiâ. Is enim demùm videtur
 amplissimus, qui virtute in altiolem locum
 pervenit: non qui ascendit per alterius in-
 commodum, & calamitatem, teste *Cicerone in*
Orat. pro Roscio Amer. Unde *Tiberius apud Ta-*
cit.

cit. l. c. ubi dixerat, unum insatiabiliter paran-
dum, nimirum: *Prosperam* sui memoriam, sta-
tim subjicit: Nam contemptu famæ, contemni
virtutes. *Et paulò antè*: Socios, cives, Deorumq;
ipforum & Dearum numina precor; hæc qui-
dem, ut ad finem usq; vitæ meæ, quietum & hu-
mani diviniq; juris intelligentem animum mi-
hi largiantur; illos, ut quodocunq; excessero
vitâ, gestorum atq; nominis mei, cum laude, se-
cundisq; recordationibus meminerint. Siqui-
dem insanus est, qui, dummodò æternam me-
moriâ assequi cupit, etiam sceleribus innote-
fcere non dubitat, more *Herostрати*, cujus gloriæ
cupiditatem *Valer. Maxim. l. 8 c. 14. in fine Sa-
crilegam* vocat: incendendo Dianæ Ephesiæ
templum, modò, opere pulcherrimo consum-
pto, nomen ejus per totum terrarum orbem
disjiceretur

III. Verùm, quid famæ hujusmodi provincia-
rum, & hominũ multorum myriadum perdi-
tione, & è consortio hominum in hoc mundo
subversione & sublatione, consequuntur, quàm
diram omnium hominum execrationẽ & no-
minis sui æternâ dominationem: prout Ephesii

consuluere abolitione memoriæ terribilissimi hominis, *Herostrati. Valer. Max. l. c.* Deinde, ignorant hi homines distinguere inter *Famam Magnam*, & inter *Famam Multam*. Ignorant item distinguere inter *Claritatem*, & inter *Gloriam*. Potest enim sine gloria esse claritas, sine claritate gloria non item. Habe tibi eum, qui *Dianæ Ephesiæ* templo sceleratas injecit faces, cujus nomen maximè clarum. At quis gloriosum dicere audebit? Nemo nisi cui *ὄσις ἐκ ἐπιταφίας κόμης*, inquit *Meurs. in Syntagm. de Gloria.*

IV. Qui igitur ita terrarum orbis Phaëthon esse vult, ad scopum suum atque finem, nisi per pietatis, humanitatis, naturæ leges calcatas pervenire non potest. Nam detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ possunt, aut corpori accidere, aut rebus externis, docente *Cicerone, l. 3. Officior. pag. mihi 415.* Si itaque cuivis involare alterius fines temerè licet, qualem inde consequetur gloriam?

V. Hinc

V. Hinc in ipsis legibus naturalibus & civilibus prohibetur, ullū aliquem cum alterius detrimento fieri locupletiolem, *l. 206. ff. de Reg. Fur. § l. 14. ff. de Condict. Indebit.* Add. *Terent. in Andria, Act. 4. Scen. 1.* Nec est, quod hīc dicas, Leges illas intelligendas esse de iis, qui demissi in obscuro vivunt, non autem qui magno imperio præditi, in excelso ætatem agunt, *Salust. in Catilin. c. 51.* His enim

— — — *Sanctitas, Pietas & Fides*
Privata bona sunt: quæ iuvat, Reges eunt,
Seneca in Thyeste.

VI. Respondebit notabiliter *Augustinus, l. 4. de Civit. DEI. c. 6.* Inferre bellum finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos solâ regni cupiditate conterere, quid aliud, quàm *grande latrocinium* nominandum est? Cujusmodi latrocinia publica non aliâ, quàm manuariâ lege nituntur, quâ id æquius censetur, quod validius est: neque suum cuique jus modum facit: sed virium spe & manu obtinendum est, quod intenderis, *Tacit. l. 15. c. 1. & Liv. l. 3. c. 1.*

VII. Omnibus quidem Principibus & Imperantibus innatum esse videtur, ut dominia sua extendere nitantur: nam

*Regibus ex multis Regnum cui sufficit unum,
Vix tamen unus erit:*

& eorum cupiditatibus vix totus mundus sufficit, cujus rei notissimum exemplum esse potest Alexander M. qui tantâ cupidine flagavit, ut plures, quos vinceret, dari sibi mundos optârit: & Anaxarcho ex auctoritate Democriti præceptoris, innumerabiles mundos referenti; Heu me miserum exclamavit, quod ne uno quidem adhuc potitus sum. *Valer. Max. l.c.* Unde rectè Juvenalis, Satyr. 10. dixit:

Unus Pellæo juveni non sufficit orbis.

Compescenda tamen esset immoderata illa cupiditas & gloria dominandi, utut nulla tanta sit humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur. Plerumq; in maximis, splendidissimisq; ingeniis animadverti, *inquit Ramspeck in suo discursu de Magnis Imperiis, c. 2. §. 27.* extitisse honoris, imperii, potentiæ, gloriæ validissimas cupiditates, & tum maxime adductos plerosq; ut eos justitiæ caperet oblivio. Propterea itaque
maxi-

maximè sibi cavere debent viri Principes, quod hi affectus mortalibus hæreant, & flagrantissimi sint, ut etiam mentibus non malis aliquandiu inanimadversi obrepant.

IIIX. Verùm sciant istius *cupiditatis servi*, quod ita plus petendo, nihil accipiant. Unde rectissimè *Boxhornius l. 1. Pol. c. 16. ad §. 3.* Imperium, quo majus sit, (puta tali iniquo modo) eo minus redditur. Item tales Principes cum *funambulatoribus* comparat, quando inquit: *Ut funambuli latiore plantam pedis habent, quam viam, ideò facile cadunt: ita Respp. quæ modum excedunt, nec sibi ipsis adequatæ, facillimè è summo ruunt.* *Alphonsus Rex Neapolitanus* tales Principes aliena affectantes imperia, comparare solebat cum *lusoribus*, qui vanâ lucrandi spe decepti perdunt ea etiam, quæ possident.

IX. In memoriam sibi deberent istiusmodi Principes revocare, quod continetur *cap. 12. Distinct 40.* Quicumq; primatum desiderat in terra, inveniet confusionē in cœlo. *Item* illud, licet in aliis terminis, ejusdem tamen rationis, quod legitur, *Caus. 7. q. 1. c. 31.* Quisq; suis terminis fit contentus, nec supra mensuras juris sui
affe-

affectet augeri. Et quoniam hodiè Principes etiam Christiani, malum illum morem cupiditatis & pruritûs dominandi, cum turpitudine solent sequi, cordi si ipsis esset, quod legitur *apud Reinkingk in Bibl. Polit. l. 2. axiom. 144.* facile sibi modum ponerent regnum suum dilatandi: Es ist die Schrift voll solcher Klagen/ über Tyrannen/ Gewalt und Ungerechtigkeit: kan derentwegen aus solchen exemplis, welche Gott zu weilen dem Regno in vaso, zuweilen so wohl dem in vaso, als invadenti zur Straffe/ Fall und Strick verhängt/ kein Regulagemacht und genommen/ noch die Tyrannen und Begierde zu herrschen/ und andere Königreiche und Land zu bekriegen/ und an sich mit Gewalt zu ziehen/ gebilliget/ und gut geheissen werden. Gottes heilige zehen Gebot seynd ja ein ewigwährendes/ unwandelbahres Geseze/ und unica rectè vivendi & regendi, sive regnandi regula. Darinnen stehet aber/ non concupisces domum proximi tui, du solst nicht begehren deines Nächsten Haus: und es stecket vielmehr darinn/ zugleich auch dieses/ du solst nicht begehren deines Nächsten Scepter/ Cron/ Thron/ Königreich/ Land und Leut/ &c.

X. Ex hac causa gloriosissimus *noster Imperator, Leopoldus*, majorem consecutus laudem & gloriam, regnum suum intra terminos sibi à DEO concessos, proferre non appetens, quàm ille, qui speciosâ & falsâ gloriâ ductus, summa imis, & ima summis miscet, regionesque fertilissimas & urbes, multâ proditione perdit, devastat & evertit. Audiamus ipsum de se fatentem & loquentem, *in decreto suo ad Nuncium Apostolicum Extra-Ordinarium, Vienna 14. August. Anno 1676.* Laude dignam esse Pontificis curam & paternam sollicitudinem, sistendi impetûs tanti sanguinis Christiani *innocenter* hæctenus profusi: compertum etiam esse præsentium bellicarum calamitatum, quibus Christianus orbis involvitur, suam Cæsaream Majestatem, *utpote, quæ regnis & ditio- nibus ab Omnipotentis gratia concessis, contenta* vixit, *minimè fuisse autorem.* Vid. *Diarium Europæum, part. 33. in Appendice, pag. 438.*

XI. Quis laude suâ defraudabit Cæsarem Augustum, qui Princeps proferendi imperii in- curiosus fuit: non quidem ignaviâ, sed consi- liô, uti credit *Forstnerus ad Tacit. l. 4. Annal.*

B

cap.

cap. 3 2. n. 3. & quia Augustus Imper. breviario, quod suâ manu scriptum Tiberio reliquerat, consilium addiderat coërcendi intra terminos Imperii. Quamvis idem *Forstnerus l. c. l. 1. cap. XI. n. 8.* dicat: crediderim ego, metu potius fecisse. Acceperat in Germania cladem Varianam: belli ambigua expertus erat; longâ pace Urbs, Italia, Provinciæ respirabant: exteri Reges; amici, socii que populi Romani appellabantur. Quo rerum Statu firmando novo Principatui pax opus erat, non nova bella.

XII. Sic Henricus IV. Ludovicum filium suum monuisse dicitur, ut tùm se Regem magnum crederet, cùm relicta à majoribus conservaret. Angli suo regno & adjunctis insulis contenti sunt; Guiennam & Normandiam aliquando suas Francis relinquunt. Hodie Chineses, Æthiopes, ut & alii Barbari, tantùm tueri student, non amplificare. Sciunt enim, vix unquam imperium aliquod periisse, nisi cùm aliena attentaverit: præterquam quòd ejusmodi cupiditas innumeras secum curas trahat, ærarium exhauriat, proprium Regnum in discrimen adducat. Ac sæpè fit,
nt qui

ut qui aliis injuriosus est, injuriam à suis patia-
tur.

XIII. Utinam Henrici IV. præcepto, quod
filio suo Ludovico dedit, ut diximus, audiens
esset hodiernus Galliarum Rex! profectò non
tantùm Christiani sanguinis profusum
esset, nec tot myriades hominum in sum-
mam redacti essent paupertatem, imò penè in
desperationem. Si suo latissimo & ditissimo re-
gno contentus fuisset, Portugallia non fuisset
turbata : Hollandia bello non petita; hæredi-
tas pupilli Regis non igne & ferro oppugnata,
Dux Lotharingæ non suo ducatu expulsus,
tot urbes & Provinciæ non combustæ; tot ve-
tustissima & Christiana templa non destructa
& deleta : quæ omnia ex pruritu dominan-
di, & aliena rapiendi, originem trahunt.
*Vid. Diarium Europæum, part. 33. in Append.
pag. 15.*

XIV. Ut tamen talis contra omnem justi-
tiam violenta & tyrannica aliorum regno-
rum invasio & occupatio, non sine justitiæ
fucò in scena publica compareat, præten-
dunt, eâ opus esse, ut majestas imperii stabilis &

efficax sit, ut negotiorum obversantium, aut emergentium moles fortius excipiat, dexteriorius sustineatur: ut Status Reipublicæ labentis instauretur; ut dignitas attaminata vindicetur ac confervetur. Adducam hîc par nobile Fratrum, Turcam & Socium ejus confœderatum: quod alter ex ratione Statûs agit, hic ex appetitu dominandi, & vicinum suum, se molliorem & magis piûm, supprimere intendit, solâ, sed vanâ spe gloriæ, imò diabolicâ gloriâ, si modò gloria vocari possit, attendit. In Imperio Turcico, inter singulares Rationes Status est, provincias remotiores desolatas reddere, eoq̃ue & urbibus & Fortalitiis totas denudare. Causa videtur gemina esse I. ut à Rebellionibus securiores sint, quia enim non nisi vi & armis, quod habent, obtinuêre, se nullâ insigni subditorum benevolentia affici facile colligere possunt: Itaque, ne vi & armis obedientiam hi iterum exuant, occasionem ipsis præcidunt, nec ubi sedem figere possint. *Vid. nostra Disputatio Politica de Tyrannide, §. 35.* II. Ne hosti invasuro adminicula præbeant sustentandi exercitum, qui cum ibi habere non possit

possit, unde commodè vivat, invasione regionum ejusmodi abstinet. *Vid. Autor Status Turcici, l. 1. cap. 15.* Daß die Verheerung derer Provinzien / welche den Türken in Asien / und andern / von den Kaiserlichen Sitz entferneten Desertern zugehören eine Ursach ihrer Erhaltung sey. *Bechman. in Meditation. Polit. pag. 190.* Sed quid hoc est aliud, quàm semper ferè generosis honestisque vocabulis furiosum suum appetitum habendi excusare, vel defendere? *Vid. Piccart. in Observat. Historico-Politicis decad. 1. cap. 9. pag. 57. & seqq. Item Disput. Inaugural. de Titulis Honorificis, Clotzii pag. 10. & 11. Plutarch. in Solone, pag. mibi 59. Rupertus in notis ad Flor. l. 3. cap. 5. §. 7. pag. 482. Disput. Politica, de Callidis Hostium Consiliis, Köhrenssee. thes. 1.* Nam ubi animus nihil modicum ac parvum spirans ac cupiens, multis magnisque operibus se ac suas vires feliciter expertus est; tum in fiduciam sui amplius accenditur, ac nihil sibi non deberi, præsertim verò honores summos, opesque credit, & dum credit, habere, quàm expectare mavult. Ita illi qui pro-regula Machiavellisticam Rationem Status habent,

habent, ut omnia utilitate metiantur, iniqua Regum facta defendunt.

XV. Alii adhuc majori impudentiâ jus suum, quod sibi competere falsò persuasum habent, ingenuè fatentur, quasi re benè gestâ, *cum Tiridate apud Tacit. l. 15. Annal. cap. 1. n. 6.* Id in summa fortuna æquius, quod validius, & sua retinere privatæ domus, de alienis certare regiam laudem esse. Sic *Euphemus apud Thucydidem, l. 6.* Regi, aut Civitati, imperium habenti, nihil injustum putat, quod sit utile. Athenienses, non se habere, dicunt, *teste eodem Thucydide,* alias actorum defensiones, quàm quòd scirent, semper moris fuisse inferiorem à superiore premi, & neminem unquã tanti æquitatem fecisse, ut ejus causâ occasionem extendendi imperii è manibus dimiserit. Deos se secundum leges colere: in cæteris vivere omnium mortalium ingenio, ut quibus prævalent imperio premant: eam legem neque se primos tulisse, neque latâ primos usos esse; sed jam antè omnium populorum usu approbatam accepisse.

XVI. Suppleat hunc iniquorum aliena invadentium numerum *Solimannus*, Turcarum Princeps, in oratione, quam captâ Rhodo insulâ ad Philippum Villerium Liladamum, Magnum illius Ordinis Magistrum habuit. Quod nullo (tyranni verba) odio tibi bellum intulerim, sed solâ dominandi libidine, vel hinc potes colligere, quod te, tuosque inviolatis corporibus, intactis fortunis, hinc dimittam. Haud enim bella gero, ut divitias & opes comparem: sed ad gloriam, famam, immortalitatem, pro- telationem Imperii tendo. Est enim Regis, sanguine Regum orti *proprium, rapere atq; invadere aliena*; non quidem avaritiâ: sed gloriosâ cupidine dominandi: cui cum obstat vicinus, armis & vi enim tollere, satis habeo. *Jacob. Fontanus in fin. l. 2. de Bello Rhodio.*

XVII. Ne tamen quis nobis objiciat, utriq; licitum esse, & salvâ conscientiam fieri posse, aliquem suo regno ejicere & sibi tribuere, cum hoc ipsum in Scripturis Sacris statuatur. Quo enim jure nitebantur Hebræi in occupatione regnorum gentium, quàm jure armorum? Resp. Negandum est solo: armo-

rum jure Hebræos usos fuisse; sed jussu & mandato DEI. Tale genus belli, *inquit Augustinus q. 10. in Josuam*, sine dubio justum est, quod DEUS imperat; apud quem non est iniquitas, & qui novit, quid cuique fieri debeat, In quo bello ductor exercitûs, vel ipse populus, non tam autor belli, quam minister judicandus est. Neque puto, injustè quem alterius regnum invadere, sibi vindicare, si ille, cujus regnum invaditur, sufficientem belli causam dedit, nec etiam aliter controversia decidi queat, tentatis prius omnibus mediis amicabilibus, quam bello: cujus effectus postea etiam justus, si victor evaserit, devicti omnia bona, tam mobilia, quam immobilia, victori cedant.

XIIIX. Hoc interim firmum est, nullaque ratione infringi poterit, Bellum nullum sumendum esse, invadendi tantum, aut acquirendi alterius imperium, aut nostri augendi causâ: quod probari potest, *Psalim. 67, 31.* ubi dicitur: *Disipagentes, que* (taliam injusta, ex sola gloria & ambitione, vel etiam avaritia) *bella volunt.* Nec tibi lapis offensionis sit vulgare illud,

illud, quod Imperatori sit nomen impositum. *Semper Augusti*, allezeit Mehrer des Reichs/sicuti docet *Boxhornius l. 1. Polit. cap. 10. in not.* quando statuit: Inde nomen Augusti introductum, ut monerentur illud gestaturi imperium esse augendum: aliàs, si id non observarent, non Augusti dicendi essent, sed *Augusti*. Nec obstat nobis *glossatorum epigraphæ Imperatoris Justiniani*: Pius, felix, inclutus, victor ac triumphator, *semper Augustus*. Ubi *Accursius* cum asseclis, perperam ⁷⁰ *Semper*, junxit vocabulo, Augustus, cum potius præcedentibus, victor ac triumphator, sine distinctiunculæ nota, connectendum fuisset. Siquidem *Augustus* ab *Augurio* denominabatur.

XIX. Nos quidem sparsim in thesibus præcedentibus egimus de periculo eorum, qui ita aliorum bona ad se immoderatè, injustè & temere rapiunt, non tamen hîc mihi temperare possum, quin Scythæ illius, nequaquam barbari, sed sapientissimi, verba, quæ fecit ad Alexandrum M. *apud Curt. l. 7. cap. 8.* adscribam, quibus illi, qui ita aliena appetunt, admoneri possunt, ut à tam pessimo affectu abstineant, & suis

C

fuis rebus, quas DEUS ipsis ad mensus est, contenti vivant. Quid tu, *inquit Scythia*, ignoras, arbores magnas diu crescere: unâ horâ extirpari? Stultus est, qui fructus earum spectat; altitudinem non metitur. Vide, ne, dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipsis ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fit: & ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui periculum non sit, etiam ab invalido. — Proinde fortunam tuam pressis manibus tene; nec invita teneri potest. Impone felicitati tuæ frænos, facilius illam reges. *Hæc Scythia*. Ita superbi & elati animi, non humiles, casibus obnoxii sunt. Hinc fortunam, veluti tunicam magis concinnam probari juvat, quàm aut longam nimis, aut nimis, brevem. Sic *juxta Ovidium*:

*Summa petit livor, perflant altissima venti,
Summa petunt dextra fulmina missa Jovis.*

XX. Tandem, gloriam & famam, quam ex tali violenta & impiissima aliorum invasione sibi promittunt, sciant, qualis futura sit? paucis expo-

exponam : Alexander, cum sibi totius mundi gloriam persuaderet ex orbis terrarum subactiōe, debuit audire ex suis propriis militibus, veritate rei nixis, quæ sanè gloriam ejus non auerunt, sed potius famam apud omnes viros bonos nimium quantum diminuerunt ; licet adultores, quales hodiè in nostro bello, quod adhuc gliscit, multi malo temporis sydere reperiuntur, contrarium foveant : Ita enim omnes, qui honestate gaudent, rectè arguerent :

Quota pars militum tua seruitia superest ? Quotus quisq; non etiam è vilissimo sanguine ? Stant in acie, te clypeis & armis suis protegunt, & pro gloria tua, pro victoria, vulnera accipiunt : at quibus tu egregiam gratiam retulisti ? Alius mensam tuam sanguine aspersit (Clytus) alius ne simplici quidem morte defunctus est. Multa millia, ut vel unam occuparent urbem (Mastricum) te spectante, mortem oppetere tenebantur, modo tu unius urbis dominus redderis. Sic miserè miserorum uteris manibus ad expediendam iniquissimam invasionem & occupationem, aliarum regionum. Hæc sunt militum tuorum præmia, quorum, ut super vacuo & sordido

abuteris sanguine. Milites tui nihil domum præter gratuitas cicatrices referunt. Curt. l. 8. cap. 7.

XXI. Egregia fanè fama, quâ Diaboli exhiberi solent, ex stygia illa pauperrimorum hominum deplorandâ desperatione, ædium incensione, vastatione, & totius alicujus regionis commiseranda desolatione. Alexander quidem de se prædicabat, se non venisse, ut funditus everteret Gentes, nec ut dimidiam partem terrarum solitudinem faceret; sed ut illos quoque, quos bello subegisset, victoriæ suæ non poeniteret. *Curt. l. c.* Sed hodiè invasio in alterius territorium, omnis subactorum sequitur execrabilis execratio, & clamor in cœlum, vindictam supplicibus manibus, & inenarrabilibus gemitibus, si non ab adultis, sed solum ab innocentibus infantibus, bonum & malum vix dignoscentibus, efflagitans. Abeat in malam rem talis fama, quæ potius *infamia*, & *dehonestamentum gloriæ esse solet*, tandemque certum & æternum ex justo DEI judicio secum trahit exitium.

XXII. Non possum hîc mihi temperare, quin *M. Anton. Petilii, l. 2. Exarchatus cap. 39.*
verba

verba adscribam, quæ Reges & Principes egregiè monere queant, ut abstineant ab injusto illò amplificandi Rempublicam per iniqua arma, modò: Si scelere, *inquit*, regnum usurpaveris, scelus expectato: exagitavit te furor, Alternis dare sanguinem. Et sceptrum scelere aggredi? *Seneca in Thyeste*, exagitabit is idem in te alios. Intrusus in regnum es dolo? factione? conjuratione? his ipsis extrudendum te scito. Longè verum & cantatissimum illud, *Malè parta, malè dilabuntur*. Talionem omnibus a DEO dictam, *Matth. 26.* vanam in te putas? frustra putas, & vanus tu in cogitatione tua. Dolum sevisti? factionem concitasti? seditio- nem movisti? conjurationem concinnasti? Ab alio expectes, alteri quod feceris: nam legem in te ipse dixisti, quod in alium statuisti, id in te accepturum juratus, unde dolum in te, factio- nem, seditio- nem, conjurationem feri, concita- ri, moveri, concinnari videbis. Qui tibi ob- stare poterant, exterminasti, justis regis lineam extinxisti: diabolica hinc consilia secutus es? qui te servare potuerunt exterminandos scito, tuam ipsius lineam extinguendam, vera DEI

eloquia non evasurus. Decretum tibi à Sacris intimatur: Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus aut actibus non offendit, ipsius tamen initio sui est perniciosus exemplo: difficile enim, ut bono peragantur exitu, quæ malò sunt inchoata principio, *Can. 25. Causa 1. q. 1.* Hoc tibi persuasum esto Princeps! nam & veteribus expertum, ultimum regnum esse, quod scelere partum foret, quod in quo incipit, in eo desinit. Parum curo, *inquis*, quod hoc post tempora. Imò & quantocyus: Nam & expertum in aliis, quod

*Violenta imperia nemo continuit diu,
Seneca in Troade, v. 257. & in Medea, v. 55.*

Quæ scelere parta est, scelere linquetur domus.
Verumque tene, qui nunc tibi parent coacti, eos recuperandæ libertatis tempus nactos facile rebellaturos! *Hactenus Petilius. Vid. nostra Disputat. de Amplificatione Rerum publicarum, §. 33. & seqq.* Quare nemo moveat bella civilia; DEUS namque vult, ut Magistratus legitimus pacem publicam non turbet, sed quantum in eo est, illam custodiat. Non inflati appetamus gradus

gradus sublimiores sine vocatione , sed ame-
mus humilia: nec impellamur ad injustos co-
natus cupiditate dominandi , aut rei alienæ.
Vid. Ahasverus Fritsch, de Principe peccante,
conclusionē 44. 45. Reinhard. König part. 3. c. 4.

XXIII. Nec etiam magna inde speranda
utilitas: cum non sit diuturna possessio , in
quam gladio inducimur. Beneficiorum gratia
sempiterna est. Illâ ærarium publicum expi-
latur, regio hominibus & civibus exuitur, & sic
tandem hostibus aliis deprædanda exponitur
& relinquitur. Hôc modô nolo ego Cæ-
sar esse, & pati vanorum gloriam, quæ sanguine
humano iniquissimè expolita est, & nititur.
Cujus gloriæ rudera elegantissimarum & vetu-
stissimarum urbium ac arcium maculam con-
scientiæ inurunt, sed feræ posteritati malitiam
devastatoris exponunt, statuatque *Salis* eri-
gunt.

XXIV. Qualem gloriam ex tali invasione,
& regnorum suorum dilatione hodiè, qui alios
fuis provinciis spoliare cõtendunt, abunde do-
cent scripta publica, toti orbi exposita: nomina-
tim *Tyrannis Gallicana; Gallicus Incendarius,*
et alia

& aliaplura, quæ partim in *Diario Europæo* extant ; partim seorsim edita : quæ sanè parum laudis & famæ continent, sed abominationem potius virorum honestorum & piorum proponunt & continent. Quis enim non Diabolo consecraverit *De La Brosse*, famosum illum incendiarium ; quem non excusabit *Regis justus*, Alsatiam modo consulat ! Belgium confirmabit tyrannicam illam famam.

XXV. *Autor* der wahrhafftigen Betrachtung über das Memorial des Königs in Frankreichs zu der Abreiß Seiner Majestät Bevollmächtigten Abgesandten nach Nümegen / in *Appendice part. 33. Diarii Europæi*, pag. 37. 38. inquit : Kein Krieg mit Frankreich hat jemals so viel Nordbrenner gehabt / und scheint / als wañ ihr ganze Dapferkeit in Sengen und Brennen bestünde / welches auch der geringste Troßbub verrichten kan. *Florus* quidem l. 2. cap. 17. dicit : Gracchum Celtiberos centum quinquaginta urbium everisione multatasse : sed intelligendum illud, inquit *Conringius* in *notis ad Machiavellum* c. 5. pag. 53. non nisi de mœnibus urbium dirutis. *Ad de Zevcotium* in *Comment. ad Flor. l.c.* pag. 332.

XXVI. Præterea: Hostis, qui omnia, quæ occupavit, totaliter devastat, exurit & in cineres redigit, magis sibi ignominia & timiditatis maculam & notam inurit, quàm famam & gloriam fortitudinis sibi comparat. Quia non confidit: à se occupata, etiam à se debite & sufficienter defendi & retineri posse. Atque sic faciem induit potius incendiarii & latronis, quàm justii bellatoris. Et hoc inde etiam cognosci potest, quando dux belli nunquam ad publicam pugnam excitari potest, sed semper in suis claustris & antris, ut mures latitare conatur, & frontem hosti suo objicere non audet, ita ut etiam ministris & officariis suis bellicis inhibeat, ne cum hoste publicâ acie confligant, sed solùm clam & dolosè hostem petant. *Liv. l. 32. c. 33.* Et licet interdum tale mandatum ex particularibus causis locum habeat, tamen belli finis, nisi quis malitiosè bellum trahere velit, contrarium suadet, eò, quòd finis belli sit pax, quæ acquiritur, vel speciali & amicabili transactione, vel mediante honestâ victoriâ generali, & hostis internecinâ clade. Siquidem prælio hoste è medio sublato, belli finis instat.

D

Aliàs

Aliàs facile largior, iusto prælio cum hoste nunquam conflegendum, nisi ex occasione & urgente necessitate: nunquam enim prodigè suo milite dux abuti debet, neq; etiam omnia uno prælio summis periculis exponenda *Vid. Neumajrin suo tractatu de Bello, c. 5. pag. 813. 853. 855. & seqq. Idem de Pace, c. 6. pag. 351.*

XXVII. Deinde, hoc modo hostem, cuius territorium ita exurit, magis ad desperationem, quam ad deditioem adigit, multò minus belli finem procurat; sed sibi metipsi, ut hostis quovis modo quærat & tentet, quomodo in vastatoris territorium, datâ quavis occasione, & quam singulis momentis expectat, irrumpat, & par pari referat, causa est. *Non enim tam omnibus fortunis nudari quis potest, ut non ad vindictam ei cultellus remaneat. Siquidem, qui hodiè nocere non potest, fortasse cras poterit. Vid. nostra Disputatio de Præda Militari, §. 38. & 49. Ubi tamen notandum, ea, quæ in dictis §§. dicuntur, locum habere & intelligenda esse de Commeatu Militari, von Proviant und dergleichen, non verò de tuguriis, adificiis & domibus. Vid. tamen adhuc aliqua limitatio apud*
Zinc-

Zincgräf, in Apophthegmat. Germ. part. 1. pag. 116. Addantur Observationes Miscellæ Berneggeri, Observat. 12. Neümajr de Bello, pag. 515. & seqq.

XXVIII. *Dicis* : Armorum studium multum ad Principis gloriam, famam ac reputationem facere. Resp. Sed non aliter, quam si ad conservandum imperium vergat: non autem, quando ad minuendum injustè aliquod imperium, aut imperium proprium ex pruritu proferendi, augendique potentiam adhibeatur. Cùm enim expeditus nostræ manus rapiant, quàm continent; prægrave sæpenumero imperium periculosum existit. Non semper ergò laudis aut famæ est, bella spargere, iisdemque se & Rempublicam nutrire, sed potius non ultima tyranni nota est, teste Aristotele, 5. Polit. cap. XI. Vid. Conringius ad Machiavelli Principem, cap. 3. pag. 35. & 37.

Verùm hîc Terminalia sunt. Reliqua postera Historia decantabit, quæ, si modò veritatem candidè sequatur, absq; ullo affectu turpitu-


pitudinem ad omnium oculos pro-
palabit, & demonstrabit. Valeat
itaque hîc Gloria illa, ex pernicie
aliorum enata! DEUS corda Re-
gum ad meliorem & veram dedu-
cat gloriam, in Sui nominis glo-
riam, & in obstrepentium
confusionem!


FIAT!


Benevolus Lector errata graviora ita
corrigit,


*Pag. 3. lin. ultim. pro dominationem, lege, damnationem. pag. 4.
l. 1. consilium de abolitione. pag. 7. l. 8. quo majus sit. pag. 15. l. 15,
cum. l. ult. Negandum est: solo armorum. p. 24. l. 7, Regis jussus.*














the scale towards document

XXXIIIX.

ductio, quæ de certo usui rei, aut præstanda opera mercede pecuniaria initur. Finitur hic tempore, ad quod expressè vel tacite fuit initus. *l. 14. ff. locat.* nec antequam tempus conductio- ariter neque locator, neque conductor altero est *l. 24. §. 2. l. 27. §. 1. l. 55. §. fin. ff. d. e. l. 3. l. 5.* per se, sive per alterum locavit aut conduxit *§. n. 6. C. seqq.* nisi iusta addit causa *l. 3. C. d. e. tione rerum (1)* si merces promissa non solva- quadriennium pro certa mercede, singulis annis acta, & conductor intra biennium mercedem conventum sit, ne invitus ante quadriennium *l. 56. ff. eod.* Franzk. *ad eund. tit. n. 186.* tamen potest expelli Franzk. *d. l. n. 181. et. 186. in fin.* expulso locator mercedem pro integris illis gere non potest, sed tantum pro rata temporis atis, reliquum verò remittere tenetur. Franzk. *§. 99. (2)* Si locator aut ejus heredes ipsimet re- trentacinq. *lib. 3. tit. de locat. Resol. 4. n. 8. in fin.* cedere tenetur, sed merces pro rata temporis *l. 3. C. locat. l. 27. l. 30. l. 35. ff. eod.* Franzk. *ibid.* locata necessario sit reficienda, & id commodè nam conductore expulso *l. 3. C. d. e. l. 30. ff. eod.* *l. 115. n. 7.* qui si tempore refectionis domum licet cum modico incommodo, tamen nihil de- pendum *l. 27. pr. ff. eod.* si verò non possit, finita rei conductæ est restituendus & ad finem con- ductus Trentacinq. *d. l. n. 9.* tenetur tamen locans mercedem pro rata temporis, quo conductor conductæ. Trentacinq. *cit. loc. n. 9. in fin.*

XXXIX.

quoque ante præfinitum tempus rem derelin- gunt nisi ex iusta causa, puta, si ædes ruinam minen- *l. 3. de damn. infect.* item ob impetum hostium *l. 7. l. 34. ff. locat.* pestis aut alium iustum me- *l. 2. ibique Godofred. in not.* Franzk. *ad h. tit.* peste, aut alio timore cessante, conductor con- tractui